



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Qua ratione Principes Romani se gesserint in judicijs canonicis,
secundùm ea quæ superioribus capitibus observata sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

38 vult. 577. vult.
An. vult. 577. vult.
vult. 577. vult.
vult. 577. vult.

sticis dari solitas, & Gregorio Magno non ingratas fuisse, ex iis epistolis constat quas in causâ Adriani Thebanæ civitatis Episcopi scripsit. Mauritius Imperator Adriani à Diaconis suis accusati *de pecuniarijs criminalibusque capitulis* cognitionem mandavit Ioanni Episcopo Larissæ, quæ metropolis erat Thessaliæ provincie, ubi sita erat Thebarum civitas, ea lege, ut de pecuniariis causis ferret sententiam, *de criminalibus vero Imperatoris clementie habita subtilius examinatione suggereret.* Quas iussiones rectas vocat Gregorius; appellationemque Adriani à sententia adversus se in causâ pecuniaria lata, & gesta apud Episcopum Larissæum in criminali causâ, à *deputatis viris piissima iussione* discussa narrat, tandemque Adrianum à Principe absolutum fuisse. Verba Gregorij hæc sunt in epistola ad Ioannem Larissæum Episcopum: *Cumque porrecta appellatio per homines ejus, ceteraque quæ penes se gesta sunt, piissimis fuissent deportata Principibus; deputatis, ut diximus, Honorato Diacono sedis nostræ, & Sebastiano glorioso anti-grapho, cunctisque examinatis subtiliter, à serenissimis est dominis ab omnibus iussionibus absolutus.* Vbi observandum est, post iudicium Metropolitanum à Principe delegati, Principem ipsum appellatum fuisse, ut constitutum erat Novella Iustiniani, & sedis Romanæ Diaconum, qui erat à Responso Papæ in comitatu Principis, unumque è Magistratibus Imperij iterum fuisse delegatos ab Imperatore: qui deinde sua auctoritate iudicium reddidit in articulo appellationis. Quorum nihil à Gregorio Magno reprehenditur: quamvis deinde conqueratur, post iudicium illud, iterum aliam per obreptionem elicitam fuisse iussione, qua Ioannes primæ Iustinianæ Episcopus cognitionem illam instauraret; cui Ioanni ob sententiam contra leges canonice prolatam merito Gregorius succenset.

4. reg. l. 1. Reg. 44.

Idem ep. 41.

Balsamo in Com-
ment. ad can. v.
Synod. Carthag.
& Basilien. Leg.
en. m. 17. 18. 19.
20. 21. 22. 23.
24. 25. 26. 27.
28. 29. 30. 31.
32. 33. 34. 35.

Balsamo ad cap.
xii. Syn. Antioch.

VII. Potiori jure utebantur Imperatores Constantinopolitani, teste Balsamone, qui causam ecclesiasticam à synodo Patriarchæ, quem reus ut suspectum recufaverat, ad iudiciumulare transferebant. Quod factum cum Lucas Patriarcha ægrè ferret, hoc responsum accepit à Magistratibus: *Imperatoris potestatem omnia facere posse; & quemadmodum primo loco potuit dare iudicem ad iudicandum Episcopum vel alium Clericum, ita & ecclesiasticum iudicium legitime in civile transferri.* Sed Balsamo rectè observat, hunc morem in quæstione præsertim ecclesiastica, alienum esse à canonibus; quamvis adiunctum civilem iudicem *συνδικησθαι* ab Imperatore peti posse existimet. Idem auctor adnotavit alibi, plerisque visum à Patriarchæ

sententia Imperatorem appellari posse, præsertim si de laicis habita sit quæstio, aut si Patriarcha delegatus fuerit à Principe, ad discutiendum negotium unà cum iudice civili; licèt ipse ab ea opinione procul recedat. Quæ ideo commemoravi, ut constaret omnibus Reges Francorum cautius & reverentius se gessisse in his controversiis quæ disciplinam respiciunt: quam quidem illasam cupiunt, sed ita ut de quæstionibus canonicis non ipsi decernant; sed amota canonum violatione, Episcopis iudicandas relinquunt.

VIII. Eximia profectò auctoritate potiti sunt Imperatores Romani in rebus & iudiciis ecclesiasticis. Sed nullum, ut existimo, proferri potest exemplum iudicij canonici ab uno Episcopo redditi de quo statim recta viâ querela delata fuerit ad Principem. De iudicio canonico loquor, in quo de fide, de ritibus, deque disciplina Cleri, & de quæstione canonica ageretur, non autem de ceteris litibus adversus Clericos motis. De iudicijsynodorum tantum appellationi non obnoxii damnati conquerebantur aliquando apud Principes. Illi iudices ecclesiasticos dabant; nunquam autem de re canonica cognitionem suscipiebant, sed de ordine iudiciorum. Neque acta resciderunt, nisi ad asserenda mandata quæ dederant, quorum contemptus lædebat auctoritatem publicam. Neque executionem rerum iudicatarum suspenderunt, nisi ob manifestissimam canonum violationem, à qua scandala & dissensiones oriebantur.

C A P V T V.

Synopsis.

I. *Vt provincia Galliarum, ita & Imperij iura Regibus Gallorum cesserunt, & cura tuenda politie ecclesiastica illos respexit post Clodovei bapismus.* Tanta erat cura canonum illis temporibus, ut raro ad Reges de violatione illorum querela deferrentur. Tamen si qui Episcopi in canones peccarent, à Rege corrigi poterant, è Gregorio Turonensi. Canonum magna reverentia apud Reges & Episcopos. Sacramentum Chilperici de canonibus servandis. Gregorius Turonensis tenax canonum.

II. *Acta Episcoporum, que decretis regis contraria essent, Reges in irritum mittebant; ut patet ex Heraclij electione in episcopatum Santonensem, que rescissa à Chariberto Rege, & multati Episcopi.*

III. *Sequentibus seculis frequentius interpellati sunt Reges, quia crebriores canonum infractiones. Pippinus in Synodo Suesionica animadversionem sibi & Concilio regni reservavit ratione canonum violatorum.*

IV. *Vis inferre tur canonibus per rescripta Romana Curie, aut per Episcoporum iudicia. Virique in commodo prospectum ab avo Caroli Magni usque ad*